

ter vel spiritualiter, id est, confuse & externe, sive vere & intimius mixtum contentum, ac fallax proinde ex hisce genericis signis formatur iudicium.

§. 12. Alii proinde ad inciles, aquarum scilicet ac fontium ductus, explorandæ mixtionis spe, confugiunt, inque iis ex adhærente vitriolo, alumine, sale, nitro vel sulphure similique colligunt aquarum mixturam, & consequenter earum bonitatem & malignitatem, sic vero itidem corporaliter mixta solum modò percipiunt, spiritualiter & intimius mixta negligunt.

§. 13. Nonnulli manifesta signa bonitatis aquarum ac fontium collaudant sequentia, tanquam universalialia, eaque in sensus nostros ut plurimum incurrentia: si nempe aqua clara, pellucida, tenuis, pura, levis, saporum penè expers, gustuique grata, igni admota cito incalescit, ab igne remota cito frigescit, interne pota non diu in ventriculo commoratur, sed facilitate tramite absque ventriculi molestia transit, si nihil, vel parum arenæ vel limi in vasis fundo relinquit, legumina celeriter coctione præparat, si nullum fovet muscum vel iuncos, neq; ullis scatet sordibus, si pellucida, per latices vel arenas nullo muco obductas transit, si hydrometricis instrumentis examinata levis, ac tandem si excitat & promovet utilium vegetabilium procrenentiam, fertilemque reddit campum, & sic omnis effectus ad hominum memoriam fuit felix, teste Galeno, Dioscoride, Cardano, Matthiolo, Kirchero.

Sequuntur

Generalia iudicia bonitatis aquarum & fontium.